

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

11. Innocentium orationem ita potente[m] esse, vt Deo quodam modo manus injiciat, si illi velint justitiæ calcatorem in jus deducere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

Cap. XXXIX. Metuendum esse iuste ad Dei iudicium citatis. 391

dicum iniquum administrante, Olaus ita scribit: *Quendam capite* Olaus. 14.  
*plecti iusserat. Is genibus innixus; en morior iniuste, inquit, tēq, voco,* histor. Aqui-  
*hae hora, ante tribunal Dei, ut respondeas, cur me innocentem morti* lon. c. 20.  
*condemnes. Vix autem miser carnificis manu obtruncatus fuerat, cum*  
*etiam iudex de equo corruit exanimis. Quām verē Siracides dixit:*  
*Deprecatio pauperis, ex ore, usq, ad aures Dei perueniet, & iudicium Eccl. 21. 6.*  
*festina adueniet illi: si illi, ergo & aduersario illius. Vnum enim*  
*est iudicium rei & actoris.*

Meminerint oppressores isti, Deum Iudicem non solum  
summum, sed etiam optimum, iam dudum hanc de se parabolam  
dedisse. Index quidam erat, in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, Luc. 18. 2.  
& hominem non reuerebatur. Vidua autem quædam erat in ciuitate il-  
la, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me, de aduersario meo. Et no-  
lebat, per multum tempus. Post hec autem dixit intra se: Etsi Deum  
non timeo, nec hominem reuereor: tamen quia molesta est mihi hec vi-  
dua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens fugillet me. Ait autem  
Dominus: Audite, quid index iniquitatis dicit: Deus autem non facies  
vindictam electorum suorum clamantium ad se, die ac nocte, & patien-  
tiam habebit in illis? Dico vobis, quia curè faciet vindictam illorum.  
Satis erat, si cum iusto & clemente iudice se comparauisset; nunc,  
si vidua iudicem ferocem, qui Deum non timebat, & hominem non  
reuerebatur, tamen exorauit; quid innocentes de tam iusto & be-  
nigno Deo non poterunt sperare, aut impetrare? Multum Iac. 5. 16.  
valet oratio iusti, & tantum, ut ipsi Gubernatori orbis quodam-  
modo manus inijciat. Nam etsi firma sunt decreta Dei, vbi tamen  
hominis interuenit oratio, decreta sua definere & velut abrogare  
decreuit, cum ea, hac lege, atque conditione temperata sint: Fa-  
ciam, nisi obstat oratio, nisi intercedat pænitentia &c. quam, quia vedit  
intercessuram, absolutè decreuit, in tali casu, à priore illo con-  
ditionato decreto desistere; & vel ordinarium etiam Mundi cur-  
sum interrumpere. Ita decreuerat, ob peccatum Dauidis popu-  
lum, contra voluntatem Dei, numerantis, proque ipsius populi  
delictis, peste populum, trium dierum spacio, depopulari; videns  
autem plagam, illam magnam, primo statim die, illorum triun-  
dierum, ut obseruat Nicolaus de Lyra, arámque & sacrificium ac  
orationem Regis pœnitentis intuens, duos de pœna dies remisit.  
Et edificauit, ait scriptura, ibi Dauid altare Domino, & obtulit holo- 2. Reg. 24.  
causta & pacifica; & propitiatus est Dominus terra, & cohibita est pla- 25.  
ga ab

ga ab Israël. Tres dies assignauerat Dominus ad plagæ illationem; sed oratio & sacrificium Dauidis Domini sententiam reuocauit. Quod etiam oratio Ezechiae effecit. Iam protulerat Deus mortis sententiam, sed vitam adhuc rex sibi exorauit. *Hac dicit Dominus, Isa. 38.1.* ait Isaias: *dispone domui tue, quia morieris tu. & non vives: tunc conuersus Ezechias ad parietem, orauit ad Dominum, fletu magno. Et factum est illico verbum, ad eundem Prophetam: Wade, & dic Ezechiae: Hec dicit Dominus Deus patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas. Ecce ego adiiciam, super annos tuos, quindecim annos, & de manu Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eam.* Tanta est vis orationis, ut per eam Ezechias sibi Dauid ingenti hominum numero, vitam prolongarit; et si Deus oppositum decreuerit facere, idque decretum, lata sententia, confirmarit. Terreni Principes decreta semel emissa inuiolabilia volunt permanere; nec precibus, nec lachrymis, nec eiulatibus sinunt ea infringi. Non ita inexorabilis est Deus, cuius decretum ac sententiam vnius hominis oratio potest reuocare.

## XII.

*Quin adeò multum valet deprecatio iusti, apud Deum, vt quodammodo Deo imperare, & in naturæ ipsius legibus dispensare. videatur. Si gubernatore ciuitatis vigilias obeunte, ei qui factem præfert, miles quispiam diceret: Heus tu, siste gradum, & lumen mihi suppedita, donec de inimico meo me vindicem; an non miraremur audaciam? quid enim hoc aliud esset, quam præcipere ipse gubernatori, vt expectet, & se duellantem adiuuet? Ita superemus ille totius creaturæ Gubernator, assidue Vniuersum hoc, sua prouidentia, circuit. Sol autem, tanquam fax, fertur, non quod ipsi lumine hoc opus sit, sed vt se cuncta videre declaret. Iosue 10.12. igitur generosus ille miles, contra Chananæos, pugnaturus, ausus est exclamare: Sol, ne mouearis, contra Gabaon. Quid est hoc aliud, quam Soli simul ac Deo præcipere, vt cursum suum & totius vniuersi sistat? nam, sole stante, vtique etiam luna & stellæ, atque cælum omne substiterunt, ne debita Mundi symmetria perturbaretur. Enimvero stetit sol, in medio cœli, & non festinavit oscumbere, spatio unius diei: non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis. Quid cupimus amplius? in diebus Ezechiae, etiam retro rediit sol. tres pueri, in fornace, orando ignem refrigerauerunt. Daniel, in lacu, orando leones mansuefecit. Apostoli, aliquique Sancti orando mortuis vitam reddiderunt. Denique ni-*

Iosue 10.12.

Eccli. 48.26.